

DE II. DECALOGI PRAECEPTO

Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Exod. 20. 7.

Hoc praeepto prohibetur quaelibet erga Deum irreverentia sive per vanam sanctissimi Nominis eius usurpationem, sive per blasphemiam, sive per iuramentum aut votum vel illicitum vel violatum.

CAPUT I.

DE VANA USURPATIONE NOMINIS DEI ET BLASPHEMIA.

ARTICULUS I. — DE VANA SS. NOMINIS DEI USURPATIONE

296. — Dicitur in vanum usurpari SS. Dei Nomen, cum sine rationabili causa, aut sine debita reverentia assumitur. Hoc autem triplici praesertim modo fieri solet, scilicet.

1^o *Ex impatientia, seu indignatione* in creaturas etiam inanimatas, aut in seipsum, v. gr. *Deus meus! Bone Deus! quam male res ista procedit! Deus meus! quam stultus ego!...* Vel gallice: *Mon Dieu, est-il possible? Mon Dieu, laissez-moi donc tranquille!* (1).

2^o *Ex admiratione*, per modum exclamationis. Sic dicitur: *Iesus Maria! O Deus! Deus meus!* (*Mon Dieu! Grand Dieu! O bon Jésus!*)

3^o *Superflue*, plerumque ex mera formula, seu ex levitate vel ex quadam consuetudine. Sic dicitur: *Deus meus, utique, ita est, vel non ita* (*Mon Dieu oui; — Mon Dieu, non: — Mon Dieu, que voulez-vous?*) (2).

(1) Quando usurpatio Nominis Dei aut Sanctorum ex impatientia sic contingit, reipsa sonat et implicat quemdam invocationis modum. Quare ubi huius usurpationis consuetudo aegre videatur emendari posse, utile erit fideles hortari, ut sensum, quem verbis efferunt, mens quoque teneat.

(2) Ad vanam *divini Nominis ac sanctorum* usurpationem revocari debent et formulae: *Per Deum, per Christum!* quae ad formulam iurandi potius per se spectarent, vel *Corpus Dei, Sanguis Dei, Christi, B. Virginis, S. Petri!* etc. sive ex impatientia, sive ex admiratione proferantur. De quibus Escobar (lib. 28. n. 570.): *Nominare vel iurare per*

*membra Christi honesta, scilicet per caput, corpus, et sanguinem, blasphemia erit, si per modum contemptus aut irrisionis proferatur... At si non per modum vituperii et convicii, sed ad magnam veritatis exaggerationem haec verba usurpentur, blasphemia non erunt, et forte (nisi adsit scandalum) culpa carebunt; quia neque in substantia neque in modo dicendi Deo sunt iniuriosa. Ita et Silvester, Valent., et Sanch., qui alios (in Decal. lib. 2. cap. 32. n. 29.) pro eadem doctrina allegat. Venialis autem erit culpa, et, ut ait Busembaum, inter *veniales gravis*, quando otiose et quoddam veluti intercalare ea*

297. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *An vana usurpatio nominis Dei sit semper peccatum, vel quale?*

Resp. 1^o *Per se peccatum est, quia laedit reverentiam divino nomini debitam. Constat insuper ex Eccli. 23. 10. Nominatio Dei non sit assidua in ore tuo.*

Resp. 2^o *Per se peccatum est veniale tantum, quia reverentia illa non graviter laeditur. Mortale autem evadere potest ob contemptum aut iram gravem (3), quia tunc de ratione blasphemiae participare censetur.*

Resp. 3^o *Quamvis culpa saepe careat propter inadvertentiam; non tamen sunt excusandi, qui absque ullo reverentiae sensu ex consuetudine SS. Dei Nomen semper in ore habent. — Bouvier, de 2^o praec. — Contra vero si usurpetur SS. Dei Nomen cum debita reverentia etiam in rebus indifferentibus, non modo aberit peccatum, sed ubi sic usurpetur per modum invocationis, erit opus bonum et meritorium. Caeterum facilius a peccato excusabuntur, qui per modum admirationis seu interiectionis SS. Nomen Dei usurpant, quia tunc facilius abest irreverentia.*

298. — **QUAER.** 2^o *An sit peccatum usurpare inutiliter nomina Sanctorum?*

Resp. Affirm. Quod enim dicitur de sanctissimo Dei Nomine, idem, servata proportione, etiam de nominibus Sanctorum dicendum est, ut constat ex citato loco *Eccli.* ubi additur: *Et nominibus Sanctorum non admiscearis.* Idem quoque dicendum est de vana usurpatione verborum sacrae Scripturae, quando irreverenter sumuntur.

verba adhibentur, ob quamdam nimirum irreverentiam.

Quosdam movet ratio *scandali*. At enim etiamsi foret scandalum *directum*, profecto impulsus ad culpam per se venialem non potest esse mortalis. Excipit tamen Scavini (Tr. 5. diss. 3. cap. 2. art. 2. q. 1. not. 1.), si ex ore sacerdotis haec profluant. At ratio tunc aliunde petenda, ex eo scilicet, quod propter hoc in fidelibus generatim minuatur tum peccati horror, tum ecclesiasticorum virorum existimatio, non secus ac quando vir e clero deprehenditur aut mendax, aut semiebrius, aut rei alienae, ut in materia levi, fraudator.

Quod vero quidam aptum ad has formas loquendi ex ore fidelium arcendas remedium putent, eas ut gravem culpam damnare, revocanda his in memoriam sunt

S. Antonini verba (Sup. not. a, ad n. 152.), scilicet, quod hoc nihil sit aliud, quam *aedificare ad gehennam.*

(3) Intellige *contemptum formalem*; nam contemptus *virtualis*, qui generatim adest in quolibet reverentiae, obsequii, et obedientiae erga Deum defectu, gravitatem reatus nequaquam inducit. *Ira* vero hic intelligenda est aut quae contra Deum fertur, aut quae ad *formalem Dei contemptum* progreditur. Alioquin ira, utut gravissima, non immutat verborum naturam. Et haec sane attendenda sunt sedulo praesertim a Concionatoribus, ne, dum vehementer haec vitia insectantur, falsam de gravitate culpae conscientiam iniciant, et sic gravis huius culpae ac ruinae spiritualis plurimorum ipsi vere sint artifices, *ad gehennam aedificantes.*

QUAER. 3^o *An sit peccatum frequens et inutilis usurpatio nominis daemoneis?*

Resp. Neg. per se (4). Reprobanda tamen est ut minus decens in ore Christianorum, praesertim in Sacerdotibus, qui ratione scandali interdum immunes ab aliqua culpa non sunt. — Busemb. apud S. Lig. n. 131. — Bouvier, etc. — Quidam autem asserunt esse veniale per se. — Ita Voit, n. 514.

ARTICULUS II. — DE BLASPHEMIA.

299. — DEFINITIO. Blasphemia est locutio Deo iniuriosa (1). Locutio autem non verbo explicito tantum, sed aliquo sensu etiam mente et opere fieri potest. Si agatur tamen de reservatione aut de aliis poenis blasphemiae inflictis, sola oralis proprie intelligitur.

DIVISIO. Blasphemia imprimis distinguitur.

1^o *Directa*, vel *indirecta*, prout Dei inhonoratio vel *directe* et formaliter a blasphemante intenditur, vel quamvis non intenta, in dictis tamen aut gestis eius aliqua Dei contumelia continetur (2).

(4) Quinimo sicubi vitium invaluit maledicendi Deo aut Sanctis (managgia... idest *male habeat...*), et cum iis hominibus agitur, qui in aestu irae vix et ne vix quidem a vehementi emphasi temperare norunt, expedit sane insinuare, ut sacris Dei Sanctorumve nominibus execrabile Diaboli nomen substituant.

(1) Quidam cum S. Thoma (2. 2. q. 43. art. 1.) de ratione blasphemiae esse volunt, ut aliquid de Deo falsum efferat. Alii mere exigunt, ut aliquid contumeliae contineat; quos cum primis alii conciliant, quia quisquis verbis Deum contemnit, ipso actu fatetur, Deum esse contemptibilem: quod sane falsum est. Quidquid de hoc sit, ne latius definitio A. excurrat, vox *iniuriosa* intelligenda est de *contumelia*. Hinc Suarez (*De Reliq.* Tr. 3. lib. 1. cap. 4. n. 1.): Blasphemia est *verbum maledictionis, convicii, seu contumeliae in Deum*. Et alii: *Est locutio contra Deum aut res sacras per modum contumeliae*.

(2) Afirmat Laymann (lib. 4. Tr. 10. cap. 6. n. 12.) *directam voluntatem in-*

honorandi Deum esse circumstantiam in confessione exprimendam. Pro qua sententia S. Alphonsus (lib. 3. n. 126.) addit Lessium (1. 2. c. 45. n. 33.) imo communem eam dicit ex Salmanticensibus (Tr. 21. cap. 3. n. 123.); S. Alphonsum autem sequitur et Scavini (Tr. 5. disp. 3. cap. 2. art. 2. q. 3.).

Sed alia est Laymanni et Lessii, alia Salmanticensium causa. Nam primi id asserunt ducti opinione de necessitate confitendi quasdam circumstantias mere aggravantes; unde Laymann lectorem remittit ad (lib. 1. Tr. 2. cap. 10. n. 3.), ubi hoc docet: Salmanticenses vero id dicunt de casu in quo ob odium Dei aut haeresim alia peccati species accedat. Cum itaque etiam ex S. Alphonsi sententia, necessitas confitendi circumstantias mere aggravantes nulla per se sit, Salmanticensium vero doctrina non sit ad rem, patet opinionem, quae circumstantiam *blasphemiae directae* exprimendam dicit, nulli solido fundamento inniti.

Sane Laymann quidem ait: *Tum etiam quia eiusmodi perversa intentio saepe*

2^o *Immediata*, vel *mediata*, prout Deum ipsum immediate afficit, vel mediate tantum, nempe Sanctos (3), aut res sacras verbis inhonorando.

3^o *Haereticalis, imprecativa et mere probrosa*, prout haeresim vel imprecationem, aut meram contumeliam continet.

Principia. — I. Blasphemia quaelibet formalis et deliberata, sive directa sit, sive indirecta, sive immediata, sive mediata, est peccatum mortale *ex toto genere suo*. Ratio est, quia quaelibet contumelia in Deum

provenit ex odio, saltem *abominationis erga Deum, quod est peccatum specie distinctum a blasphemia*. Verum subdit: *Quia tamen non semper ex odio provenit, sed interdum tantum ex ira, taedio, aut desperatione*, etc. Itaque Laymann, *blasphemiae prolatae cum formali et directa intentione inhonorandi Deum* tunc solum accedere distinctam speciem docet, cum provenit ex odio; atqui Laymann negat, talem blasphemiam semper ex odio provenire. Ergo in sola formali blasphemia in se spectata speciem distinctam non agnoscit.

Salmanticenses autem ita loquuntur: *Respondetur dicendo, blasphemias haereticas, et ex odio Dei procedentes esse diversas specie ab aliis blasphemis. Ratio primae partis est, quia blasphemia haereticalis habet adiunctam haeresim... et opponitur fidei... Ratio secundae partis est, quia odium Dei opponitur charitati*. Porro sicut absurdum diceret, *directam* blasphemiam per se esse *semper* diversae speciei quia interdum accedit haeresis, ita idipsum male concluditur, quia potest aliquando coniungi cum odio Dei.

Denique quod ad Lessium spectat, ipse concludit his verbis: *Unde non dubium est, quin hoc in Confessione tamquam peculiaris species, in qua ipsa malitia est directe volita, sit aperiendum*. Verum Lessii sensus est, esse aperiendam illa circumstantiam, quemadmodum est aperienda *peculiaris species*; non vero esse aperiendam, quia ipsa circumstantia affert novam speciem. Idque duplici ra-

tione fit manifestum: 1^o quia ratio a Lessio adhibita in hoc constringitur, quia *ille affectus incomparabiliter peior est*, quia *altiori modo est malitia in actu*, quia *incomparabiliter peius est facere alicui iniuriam affectu nocendi...* Atqui ista indicant non *speciei mutationem*, sed merum malitiae intra eandem speciem augmentum. 2^o Quia, ut ait Lessius, *haec est formalissima blasphemia*. Atqui absolum est *formalem blasphemiam* differre specie a communi ratione blasphemiae. Ergo.

Hinc autem ad conclusionem, quae rei caput est, procedendum. Nam hic agitur de obligatione confitendi quamquam circumstantiam. Obligationes autem, nisi certe de iis constet, non sunt asserendae. Porro in praesenti nedum habeamus argumenta certitudinem inducentia, ne rationes quidem habemus ad aliquam probabilitatem pariendam efficaces. Ergo.

(3) Quidquid disputaverint nonnulli, contententes blasphemiam in Sanctos specie differre a blasphemia in Deum (Vid. Lugo *De Poenit.* disp. 16. n. 279-280.), probabile haberi potest cum S. Alphonso lib. 3. n. 132.) reipsa specie non differre, atque adeo nullam adesse obligationem declarandi in confessione, num in Deum an in Deiparam, aut in Sanctos aut Angelos prolata blasphemia verba fuerint. Et hoc quidem multum ad praxim confert; Confessarium enim simul et poenitentem eximit a necessitate indagandi quoties in Deum, quoties in Sanctos quis blasphemando peccaverit, cum expeditius haec omnia summatim in unum colligi possint.

est iniuria gravis divinae Maiestati illata. — Hinc *Lev.* 24. 16. *Homo qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum; et qui blasphemaverit Nomen Domini, morte moriatur.* — Hinc etiam S. Hieronymus in *Isa.* l. 7. c. 18. ait: *Nihil horribilius blasphemia, quae ponit in Excelsum os suum.* — Et ait S. Thom. 2. 2. qu. 13. art. 3. *Omne peccatum comparatum blasphemiae levius est.* — Potest tamen evadere veniale ex imperfectione actus, scilicet ex defectu advertentiae, aut perfecti consensus.

II. Ad blasphemiam perfectam ratione actus necessaria non est expressa et explicita intentio Deum inhonorandi, sed implicita sufficit, cum scilicet quis ea, quae veram Dei contumeliam continent, etiam ex ioco aut ira in creaturas cum advertentia profert. Ratio est, quia ex his sequitur gravis Dei inhonoratio licet indirecta; gravis enim irreverentia in Deum committitur, cum verba ei contumeliosa ad iocum (4), vel ad iram exprimendam adhibentur. — Reuter, *de blasphemia*, n. 442.

III. Blasphematoria habenda sunt *per se* verba, quae ex communi apprehensione, vel usu patriae aut regionis, vel ex modo loquendi derisorio aut iracundo, aliisve circumstantiis, Dei inhonoratorem continent; quae licet *per se* blasphemiam non sonent ex communi tamen apprehensione ut blasphematoria habentur. — Reuter, *ibid.* (3).

300. **Resolves.** — 1^o Blasphemia est iuxta quosdam dicere: *Perdat te mors, vel sanguis Dei; perdant te Sacramenta.* Verius tamen videntur verba mere imprecatoria. Blasphemia autem est spuere in coelum, infrendere dentibus in illud, dicere se velle aliquid agere Deo invito, et similia.

2^o Blasphemia est dicere: *Deus mei est plane oblitus: Quare Deus me creavit?* — Excipe tamen, si haec proferantur modo loquendi humano ex levitate, vel ad ostendendum doloris vel taedii gravitatem, ut

(4) Reuter, e quo A. haec affert, doctrinam de blasphemia *per iocum* prolata sic circumscribit (P. II. Tr. V. *De Blasphemia* n. 442.): *Gravis blasphemia est... 3. Si quis per iocum dicat verba blasphema: ubi apud audientes iis coniuncta est inhonoratio Dei.* Aberit ergo gravis reatus quando penes audientes sensus ille deficiat.

(5) Auctor forte ea respicit, quae Reuter (l. c. n. 441.) de iis habet, qui *cum irrisione, exprobratione, vel contumelia nominant Christi mortem, sanguinem vulnera, sacramenta, etc.* de quibus

diximus sup. in not. ad n. 296. Verum tamen ubi non quidem *irrisionis, exprobrationis, etc.* causa agatur, sed *apprehensionis* tantummodo qua verba, reipsa non blasphema, ex errore putantur blasphema, in memoriam sane revocanda est gravis obligatio, qua ex omnium sententia tenentur Confessarii, ut fideles, qui ex erronea conscientia peccant, a pernicioso errore revocent. Potius quam igitur haec verba eum blasphema insectentur, doceant Confessarii, nullam in iis inesse blasphemiam ne secus scilicet ex falso zelo, ut pluries iam diximus, *ad gehennam aedificent.*

saepius fieri solet. Nunquam autem excusandi sunt a peccato gravi, qui advertenter ac serio dicant: — *Deus est iniustus.* — *Deus iniuste me tribulationibus gravat.* — *Iniuste sinit malos esse felices in mundo.* — Voit, n. 519.

3^o Non peccant graviter, qui ira vel aliqua passione abrepti verba blasphemiae proferunt non advertentes ad eorum significationem (6). Nec illi, qui ex inveterata consuetudine blasphemandi iam retractata in eiusmodi verba indeliberate erumpunt (7).

(6) Ita S. Thomas (2. 2. q. 13. art. 2. ad 3.): *Blasphemia potest absque deliberatione ex subreptione procedere dupliciter. Uno modo quod aliquis non advertat hoc, quod dicit, esse blasphemiam: quod potest contingere, cum aliquis subito ex aliqua passione in verba imaginata prorumpit, quorum significationem non considerat; et tunc est peccatum veniale, et non habet proprie rationem blasphemiae.* Quae efficere possunt, ut posthabeatur opinio, quam S. Alphons. (lib. 3. n. 127.) tribuit Giordanini (*Istruzione per li novelli confessori*) nimirum *semper adesse aliquam de malitia blasphemiae advertentiam.*

(7) Ut confessarius rite iudicet de blasphemis (et idem dicito de aliis linguae vitiiis) inadvertenter ac vi consuetudinis prolatis, adhibeat oportet principia, quae communiter traduntur (in Tr. *De Actib. human.*) de peccatis *in causa*. Quamvis scilicet verba haec inadvertenter prolata habeantur ac dicantur peccata; tamen non tunc quispiam peccat, cum illa materialiter et sine advertentia ore effundit; quippe nullus actus sine deliberatione rationem culpa per se habere potest; sed cum sint peccata *in causa* tunc reatus incurritur, cum causa ponitur. Inutile ergo est a poenitente percontari numerum horum peccatorum seu actuum materialium; totus enim horum reatus in causa est; hic autem reatus nec augetur nec minuitur pro maiori aut minori actu deinde sequentium numero, sed aestimandus est ex effectuum praevisione, quae affuerit, cum

causa poneretur. (Vid. Laymann lib. 1. Tr. 2. cap. 3. n. 6.).

At quaenam est ista causa, in qua reatus residet? Quidam confugiunt ad originem consuetudinis, duplicemque seu aggravatam malitiam reperiunt in praecedenti actu frequentatione, ex qua consuetudo inolevit. Ita Laymann (l. c.); qui tamen scite monet, ad id opus esse, ut quis dum blasphemat, advertat per hoc eam sibi consuetudinem ingenerari. — Verum vix in praxi reperies homines ad hoc advertisse, praesertim si a pueris habitum contraxerint; insuper etiamsi quis advertat periculum, tamen cum non habeat propositum frequentandi actus, imo sibi polliceatur, alias se non blasphematurum, aegre hunc reatum invenies.

Attamen licet reatus ex hac parte deficeret, in eo tamen certe habetur, quod quis negligat emendare consuetudinem, quam sub gravi tollere tenetur; et haec quidem negligentia sufficit, ut actus sint *indirecte voluntarii*, sicut sunt effectus omnes omissionis nobis voluntariae, cum scilicet non removemus causam, ad quam removendam tenemur. Et sic patet, quomodo voluntarius sit consuetudinis reatus, licet defuerit advertentia ac reatus in ipsa consuetudine contrahenda.

Ex his autem pronum est de hisce iudicium ferre. Nam vel blasphemiae non proferuntur indeliberate (neque enim consuetudo efficit, ut omnes actus sint indeliberati) et iam reatum in se habent, utpote in se voluntariae.

Quando vero sint plane indeliberatae,

4^o Non peccat graviter, qui pronuntiat verba in se quidem blasphematoria, sed dimidiata aut corrupta, ita ut ad verum sensum non attendat; v. gr. qui gallice dicit: *Jarnidié! mortdié! ventredié! morbleu!* Haec enim rationem blasphemiae iam non amplius habent (8). — S. Lig. n. 123. — Bouvier, de 2^o praec. art. 1.

301. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *An blasphematoriae sint hae locutiones gallicae: NOM DE DIEU! NOM DE NOMS! MILLE NOMS! SACRÉ NOM! sine addito, etc.?*

Resp. Neg. per se, etiamsi prolatae sint in ira, nisi ira in Deum ipsum feratur, seu nisi adsit intentio blasphematoria (9), quae plerumque abest. Haec enim verba nullam blasphemiam in se continent. Venialia igitur tantum erunt propter vanam nominis Dei usurpationem; si vero nomen Dei in formulis neque *explicite* neque *implicite* adhibeatur omni culpa *per se* carebunt. — Bouvier, *ibid.*

A fortiori, blasphemiae non erunt inurbanae illae locutiones inter rusticus nostros tam frequenter usitatae, quae incipiunt litteris *B. F. M.*

excusari penitus a peccato continget, si quis serio conetur consuetudinem auferre. Ratio est, quia reatum in se, ut diximus non habent, sed habere possunt tantum in causa. Porro vel causa intelligitur pristina actuum frequentatio, unde consuetudo inducta est; et hic reatus per retractionem seu poenitentiam iam sublatus est; vel intelligitur causa *indirecta*, scil. negligentia removendae consuetudinis, et haec pariter abest, cum supponamus hominem ad tollendam consuetudinem serio intentum. Et haec quidem poenitenti sunt inculcanda; quippe magnum animum addere solent ad curandam vitii extirpationem.

Quod si poenitens emendationem consuetudinis aut omnino recuset, aut non recuset quidem, sed interim sufficientem ad id curam seu conatum adhibere negligat; in primo casu incapax est absolutionis, utpote qui voluntarie manet in statu peccati, non secus ac qui aut alienum restituere, aut occasionem deserere non vult; in altero autem monent DD., *expedire*, ut discrete differatur absolutio, quo scilicet poenitens socordiam excutiat atque ad conatum et curam efficaciter adhibendam aliquo modo permoveatur. *Di-*

screte, inquam; nam si absolutio *commode* differri non possit, et alioqui sufficientia signa appareant seriae voluntatis pravam consuetudinem emendandi, absolvi potest, sicut et quando dilatio ad auferendum pravum habitum non videtur profutura. Sed de his uberius, ubi de Sacramento Poenitentiae.

Interim adverte, difficulter decerni posse, quando gravis sit reatus negligentiae in iis, qui causam utique retractant, et conatum aliquem adhibent, qui tamen non semper sit intensus.

(8) Imo studium detorquendi, mutilandi et utcumque corrumpendi prolationem vocabulorum, quae aliter blasphemiam sonarent, ostendit blasphemiae detestationem. Et siquidem vulgus quando vehementi affectu praesertim irae, percellitur, aegerime temperat ab emphatica quapiam locutione, consultius sane ipsi suggeritur modus aliquis innoxius aestum illum significandi, quam silentium exigatur.

(9) Nimis profecto morosi dicendi sunt qui importune blasphemiam, quae in verbis nulla est, expiscari et rimari in intentione satagunt.

vel *J. F.* etc., etiam si verbum *sacré* ipsis praemittatur, v. gr. *Sacré B., Sacré M.*, aut si verbum istud aliis nominibus inurbanis iungatur. Imo haec *per se* culpa vacant, nisi charitati erga proximum adversentur, ut fit quando huiusmodi verba convicii causa proferuntur. — *Ita communiter.* — Bouvier. *ibid.*

302. — **QUAER.** 2^o *An sit blasphemia locutio gallica: S. NOM DE D.?*

Resp. Affirm. per se, seu ratione acceptionis communis verborum, Etenim huiusmodi voces ex sensu fidelium in Deum contumeliosae sunt. Nullus enim est mediocriter pius, qui haec audiendo non inhorrescat. Re quidem vera qui hanc locutionem usurpant, agunt ex contemptu SS. Nominis Dei, saltem implicite, perinde ac si dicerent: *Maledictum Nomen Dei.*

Nec dicas, haec verba nullam in se blasphemiam continere, quia in sensu obvio *benedictum Nomen Dei* revera significant. Nam utrumque sensum prae se ferunt, alterum scilicet ex genuina verborum significatione, alterum vero ex generali hominum acceptione. Imo numquam a piis fidelibus ad Deum honorandum adhibentur, sed ab iis cum horrore et indignatione semper audiuntur, dum e contrario ad eum execrandum iugiter usurpantur.

Hanc locutionem ut blasphematoriam habent Vernier, *de 2^o Decalogi praeepto.* — Rousselot, *in additionibus ad Theologiam*, Saettler, *ibid.* — *Collationes Anicienses (Conférences au Puy) de virtute Religionis*, p. 2. c. 1. — *Illustr. D. D. Parisi, Episcopus Lingonensis (nunc Atrebat.) in Epistola pastorali pro pia sodalitate ad blasphemiae destructionem erigenda.* In hanc quoque sententiam propendet Bouvier, *de 2^o praec. Decal. c. 1.*

303. — Plures tamen alii rationem blasphemiae in hoc loquendi modo *per se* non apprehendunt (10), nisi intentio blasphematoria, explicite, vel implicite saltem, interveniat. — Ita Gousset, t. 1. n. 460. — D. Valentin, *Examens raisonnés sur les Commandements.*

(10) Et sane eodem horroris sensu, ac pii homines in Gallia ob praedicta verba, pii fideles alibi affici solent, cum audiunt in ira usurpari *Dei corpus, sanguinem Christi*, etc.; et hic fidelium sensus certe evincit, aliquid inesse, quo in Deum peccatur. At quod ex hoc fidelium horrore determinari ulterius debeat aut etiam possit peccati species, sit ne irreverentia erga Dei nomen aut sacra, an blasphemia, an haeresis, adsit ne contemptus contumeliae proprius, an contemptus mere reverentiae

detrahens, haud facile alii admittent. Quin etiam si has verborum formas vulgus appellaret blasphemias, nihil id prorsus concluderet, quando constat, blasphemiae nominis et vaga notione designari a vulgo non modo verba quaelibet in Deum, sed illa quoque, quae in Deum nullo modo feruntur, de quibus A., num. praec.; alioqui vero non a vulgo Theologi haec exquirant et addiscant par est, sed a Theologis vulgus.

Dixi, *per se*. In praxi enim non sunt de peccato mortali arguendi ii omnes, qui huiusmodi verba proferunt. Nam certum est, teste experientia non paucos praesertim rudes malitiam gravem in illis non apprehendere (11). Attendat igitur Confessarius imprimis ad varias poenitentium circumstantias. Quidquid autem sit, cum debita prudentia satagere debet, ut pravam hanc consuetudinem, in quantum fieri poterit, in poenitentibus penitus destruat.

304. — QUAER. 3^o *An sit blasphemia maledicere creaturis?*

Resp. Disting. Est blasphemia maledicere creaturis cum relatione ad Deum v. gr. pluviae, ventis, ut a Deo imperatis, vel addito verbo *Dei*, item maledicere creaturae, quae de se specialem relationem ad Deum habet, v. gr. animae nostrae, Fidei catholicae, coelo et similibus. Secus autem, ut fere contingit, si indignatio feratur in creaturas sine relatione ad Deum. — *Ita communiter* — S. Lig. n. 128.

QUAER. 4^o *An sit blasphemia maledicere toti mundo?*

Resp. Afirmat. S. Lig., quia sicut iurare per creaturas, in quibus magis relucent attributa divina, est verum iuramentum, ita ipsis maledicere est vera blasphemia, quia Deus in ipsis *indirecte* contemnitur. — S. Lig. n. 129. — Reipsa tamen vix talis sensus animo haec proferentis occurrere solet.

305. — QUAER. 5^o *An sit blasphemia maledicere mortuis?*

Resp. Neg. nisi mens specificè feratur in animas purgatorii; quia mortui in genere non habent specialem relationem cum Deo (12). — S. Lig. n. 130.

(11) Quae cum ita sint, prudens ne fuerit consilium recentiorum, quos Auctor paulo antea appellat, scriptorum, ut impenso studio fidelibus suaderent, blasphemiam prorsus inesse in iis verbis, quae *per se* reipsa non sunt blasphemia et insuper in hunc finem exquisita subtilitate verbis sensum illum affixerint, de quo vulgus nunquam forte cogitaverat, ac blasphemiam, quam in verbis non inveniebant, rimari conati fuerint saltem in intentione etiam mere implicita, viderint sapientiores. Illud sane compertissimum est, nec Dei gloriae et honori, nec animarum saluti

bene per hoc consuli, quod gravis criminis conscientia praeter necessitatem fidelibus iniiciatur. Etsi enim forte sic obtineatur, ut quispiam interdum ab ea verborum forma temperet; at sane hoc lucro nullatenus compensatur et gravis Dei nostri offensa et gravis animarum pernicies quae huic dictamini ceu novo laqueo importune iniecto, prorsus debentur.

(12) Indoles huius maledictionis reipsa est convicium in vivos conicere et contumeliis ipsos impetere non vero mortuis mala imprecari, hosve iniuria afficere.

CAPUT II.

DE IURAMENTO.

306. — DEFINITIO. Iuramentum est invocatio (1) divini Nominis in testimonium veritatis (2).

DIVISIO. Distinguitur iuramentum

1^o *Assertorium* vel *promissorium*, prout veritas (3) tantum asseritur, aut promissio seu pactum confirmatur.

2^o *Solenne* vel *simplex*, prout fit forma iure requisita, solemnibusve caeremoniis, aut iis seclusis (4).

(1) Per hoc potissime iuramentum a voto differt, cuius essentia in sola *promissione* consistit.

(2) Alii ut melius explicent duplicem iuramenti finem, dicunt, iuramentum esse *invocationem divini Nominis in testimonium vel ad fidem dictis faciendam, vel ad confirmandam promissionem.*

(3) Alii ad iuramentum tum veri tum falsi comprehendendum definiunt *assertorium, quo praesentia vel praeterita affirmantur vel negantur*; nam promissorium, uti patet, solum ad futura sese porrigit. Quamquam non omne iuramentum de futuro est *promissorium*. Duplex enim a DD. distinguitur iuramentum de futuro: aliud *nudum* ac *simplex*, quod nullam continet erga alterum promissionem, v. gr. si iures, te non ingressurum hanc domum vel cauponam, etc.; aliud vero *promissorium*, quod est *confirmatorium promissionis* vel erga Deum quod est *votum iuratum*, vel erga proximum, quod obligationi iustitiae aut fidelitatis ex promissione ortae addit obligationem ex virtute religionis.

(4) Clerici, praesertim sacerdotes, *solenne* iuramentum interponere non possunt, nisi de Episcopi licentia, quae gravi solum de causa conceditur.

(*) Cum sollemne profertur iuramentum, solet in quibusdam acatholicis regionibus codex biblicus adhiberi ab ipsis acatholicis editus, quem tangit iurans eoque

tactu Auctorem S. Scripturae in testimonium invocat veritatis. Quaeritur an catholico liceat hoc pacto iurare.

Si codex biblicus haereticorum profertur in contemptum Bibliorum catholicae Ecclesiae vel in protestationem haresis, manifestum est id non licere. Si haec absint, codex tamen biblicus sit substantialiter vitiatum iuxta haeresim illius sectae, per se non licet eo tacto iurare; nam haec foret quaedam communicatio in re sacra cum haereticis et praeterea perinde foret ac Deum traducere auctorem falsorum bibliorum, Auctor enim scripturae in testem invocatur. Et quamvis corruptio codicis biblici non sit substantialis, si tamen corruptiones adsint ab haereticis profectae ideoque sit codex proprius sectae haereticae, etiam tum per se non licet ad eius contactum iurare, ne communicatio aliqua cum haereticis in re sacra habeatur.

Diximus, *per se*; nam necessitate intercedente iurandi, si aliter fieri nequeat, vitium purgari potest, protestatione adhibita quod super eo codice iuratur quatenus tantum verum Dei verbum adhuc continet, vel quod iuratur tantum super iis partibus, quae cum vera scriptura concordant.

Ceterum si catholicus coactus iurare fraudem haereticorum ignorat nec sine damno prohiberi potest et scandalum abest, relinquendus est in bona fide.

Habemus haec de re instructionem S. C.